



The Holy See

FRANCISCUS PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

**VENERABILIBUS SERVIS DEI EMMANUELI BASULTO JIMÉNEZ,
EPISCOPO GIENNENSI, ET V SOCIIS, MARTYRIBUS,
BEATORUM HONORES DECERNUNTUR.***

Ad perpetuam rei memoriam. — « Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum nec dimittam » (Ct 3, 4).

Ecclesia non cessat amorem cantare quo suo Sponso se coniungit, suis filiis suadens ut communionem cum Deo supra omnia quaerant iisque exemplar martyrum significans qui amorem Christi morte fortiorem consideraverunt. Itaque martyres vivum testimonium sunt magisterii Concilii Vaticani II: « Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communionem tota sua natura adhaereat » (*Gaudium et spes*, 18). Hi sex martyres fidei confessionem manifestant qua dioecesis Giennensis respondit terribili temptationi persecutionem religiosam sequenti, quae his in regionibus, tam antiquae ac venerandae christianae memoriae, tot victimas tulit.

1. Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, natus est in loco *Adanero* (dioecesis Abulensis) die XVII mensis Maii anno MDCCCLXIX. Primis diebus persecutionis recusavit de urbe Giennensi fugere. In episcopali habitatione reclusus, die II mensis Augusti anno MCMXXXVI comprehensus est in propria ecclesia Cathedrali. Occisus est die XII mensis Augusti in loco *Vallecas*, prope Matritum, una cum pluribus decuriis captivorum, qui funeste celebri *Hamaxosticho Mortis* vehebantur. Ipse iugiter patuit, usque ad exitum, uti imago Boni Pastoris inter populum suum patientem.

2. Felix Pérez Portela, presbyter dioecesanus, Vicarius Generalis Giennensis, natus est in loco *Adanero* (dioecesis Abulensis) die XXI mensis Februarii anno MDCCCXCV. Indole benigna ornatus, spiritu altae et rectae fidei, paratus fuit ad sacrificium et renuntiationem, de quo totam per vitam suam testificationes constantes perhibuit. In custodia et martyrio noluit ab Episcopo suo umquam separari. Una cum ipso interfectus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Vallecas*, prope Matritum.

3. Franciscus Solís Pedrajas, presbyter dioecesanus, die IX mensis Iulii anno MDCCCLXXVII in

loco *Marmolejo* natus est. Fuit parochus loci *Mancha Real* in dioecesi Giennensi. Cum apostolico fervore exercuit ministerium sacerdotale. Primis diebus religiosae persecutionis in Hispania apprehensus est et sub custodia positus in ecclesia Cathedrali Giennensi, ubi octo menses transegit, socios in vinculis consolans et confortans. Die IV Aprilis anno MCMXXXVII una cum aliis vinctis in coemeterium loci *Mancha Real* conductus est ibidemque occisus. Hoc supremo momento ipse cantum sacrum praecinuit, omnibus animum addens ad martyrium patiendum.

4. Franciscus de Paola López Navarrete, presbyter dioecesanus, die II mensis Martii anno MDCCCXCII in *Villanueva del Arzobispo* natus est. Fuit parochus loci *Orcera* in dioecesi Giennensi. Iam in vita propter spiritum orationis, sacerdotalem zelum, bonitatem spiritumque caritatis erga pauperiores peculiari sanctitatis fama eminuit. Dum domi sui patris convalescebat, correptus est et monitus ut imagines sacras delendas traderet. Renuit declarans se unam tantum vitam habere, eamque debere Deo. Interfectus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Beas de Segura*, dum clamabat: Vivat Christus Rex!

5. Emmanuel Aranda Espejo, Seminarii alumnus, die XXII mensis Martii anno MCMXVI in loco *Monte Lope Álvarez* natus est in familia agricolarum, catholica ac devota, in qua fidem accepit vocationemque sensit ad sacerdotium. Etiamsi tempus Ecclesiae esset inclemens, ingressus est Seminarium firmiterque progressus est hoc in itinere. Aestivo tempore, dum paternae domi vacabat, comprehensus est ac detentus in quadam cappella. Cum recusaret blasphemare aliave opera contra religionem suam perficere, interfectus est in loco *Martos* die VIII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

6. Iosephus Maria Poyatos Ruiz, iuvenis laicus, die XX mensis Octobris anno MCMXIV in loco *Vilches* natus est. Associationibus Actionis Catholicae et Adorationis Nocturnae nomen dedit. Alta devotione eucharistica vitaeque probitate in opere explendo valde eminuit. Exclusus propter suam fidem catholicam, quam aperte ac strenue profitebatur, a multis sociis in fabrica ubi operabatur, denique dimissus est. Comprehensus ac detentus domi suae, inde occisus est die III mensis Octobris anno MCMXXXVI in loco *Úbeda*, dum Christum Regem ore suo profitebatur.

Fama martyrii eorum diffusa est atque viva permansit. Quapropter apud curiam dioecesanam Giennensem perfecta est Investigatio dioecesana, quae approbata est a Congregatione de Causis Sanctorum. Die VIII mensis Ianuarii anno MMXIII in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi edixerunt eos verum martyrium esse passos. Demum Nos Ipsi die XXVIII mensis Martii anno MMXIII facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac deinde statuimus ut sollemnis ritus beatificationis Tarracone in Hispania die XIII mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur Tarracone de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Emmanuelem Basulto Jiménez, episcopum, et V eius

Socios, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yangüas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Episcopi Illerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Valera, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulii Rodríguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei: Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani; Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti; Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus; Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimorum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua; Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzóla et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo; Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus; Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solís, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum; Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani; Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis; Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum; Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris; Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus; Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora; Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis; Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani; Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus; Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum; Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici; Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter professus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi; Andreas a Palazuelo (in

saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; Theophilus Fernández de Legaría Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris; Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum; Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus; Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul; Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professa Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis; Maria Assumpta (in saeculo: Iuliana González Trujillano) et II Sociae, religiosae professa Congregationis Missionariorum Franciscalium a Matre Divini Pastoris; Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus; Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.; Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio; Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis; Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu; Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus; Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica; qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

*De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis*

*A.A.S., vol. CVI (2014), n. 8, pp. 621-626.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana